QUÆSTIONES DUÆ UNICA PRÆLECTIONE IN MAIORIBUS COMITIIS CANTABRIGIÆ DETERMINATÆ, ANNO 1642.

Per Reverendum Academiæ Procancellarium *Richardum Holdsworth* S. T. Professorem & Collegii *Emanuelensis* Præfectum Dignissimum.

Οὐκ ἐν τῷ μέγα τὸ εὖ,
Ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα.

LONDINI,

Excudebat *G. D.* impensis *Gulielmi Nealand*, Bibliopolæ *Cantabrigiensis*, apud quem prostant venales. 1653.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Poteſtas abſolvendi miniſtris Evangelij conceſſa, eſt tantum Declaratoria.

In divinis Officiis præſcriptis Precationum formulis, & uti licet, & expedit.

AD quæſtiones quod attinet, tametſi a ſe invicem quoad terminos disjunctæ videantur, ſunt tamen finitimæ ſenſibus, eamque inter ſe habent vicinitatem, ut facile poſſint in unius *Determinationis* faſciculum complicari, ſed ordinatim et vicibus ſuis.

Imprimis quod ad ſubjectam materiam attinet, in utraque *miniſterij* cauſa agitur, ſed via diſpari: Nam in altera eſt *defenſio* juſta λατρείας, in altera λατρεύοντων legitima *Circumſcriptio*: De *Miniſtrorum Poteſtate* agit prima, nimirum

rum de *clave Absolutionis*, in qua *os Dei Ministri* dicuntur ad *Populi conscientias*. De *Ministrorum* libertate secunda, videlicet de *Clave Orationis*, in qua sunt *os Populi* ad Deum.

Neque tamen hoc totum est, nam in scopo etiam conveniunt, in quem ordinantur, quia utraque militat contra *Adversarios hodiernos* veritatis: Contra *Pontificios* prima, qui illicita obtrudunt. Secunda contra *Sectarios*, qui, quod licitum est, auferunt: Illi plus nimio dilatant *ministerij* fines, at hi plus æquo coarctant quæ nobis concessa sunt, *Orationis* adjutoria denegando; sic quantum isti de *Assistentia Spiritus* præsumunt, tantum primi de ejusdem *potestate* sibi adsciscunt, *æquali pertinacia*, sed *arrogantia majori*.

Sed quia ad primam *profundior* erigitur *speculatio*, secunda autem *magis est in expedito*, ut quæ vix nomen *controversiæ* mereatur, idcirco inverso ordine isto prius agam, sed strictim, et quæ in transitu, ut absque injuria patien-

vest

veſtræ plus temporis inſumam in illam alteram.

Primo notandum eſt illud, non agi hic de *oratione privata*, cujus tamen eadem poteſt eſſe defenſio; utcunque enim *impræmeditata oratio* non ſit illicita, ſiquis *donum* habeat, ſitque adeo exercitatus in rebus cœleſtibus, ut poſſit abſque *formulis* deſideria corbis ſui pandere, decenti verborum tenore: Attamen in his etiam, Chriſtiano *ordinarie* non licet in *extraordinarios inſtinctus ſpiritus ſancti* ſe conjicere. Nam præterquam quod ſit *arrogantia*, Deique etiam *tentatio* pendere ab *Enthuſiaſmis*, veriſimile etiam eſt *reverentiam debitam abfuturam*, & multa Dei majeſtate *indigna* eos dicturos, qui res *tumultuarias & temere congeſtas* divinis auribus obtrudant.

In his igitur (ut mihi quidem videtur) ea *regula* eſt optima, ut *id quiſq; faciat, quod norit ſibi maxime profuturum*; ſive ſecundum *præſcriptam formulam* precetur, ſive abſque ea, dum-

modo caveat utrinque ab *incommodis*. Incommoda *Precum præscriptarum* sunt *Evagatio mentis* & frequens *inadvertentia*: *Extemporaltum* vitia sunt βαττολογία & male *morata garrulitas* : Utrisque occurri poterit, si *Formulæ* sic adhibeantur, ut non semper ijs *vestigiatim* adhæreſcamus, sed & *mutandi* & *addiciendi* libertatem nobis ſervemus, pro ut occaſio exigeret, illius *regulæ* ſemper memores, quæ etiam *Ethnicis* ex cognita; *ſic loquendum cum Deo tanquam homines audiunt.*

Secundo quod ad *preces publicas* attinet, in iis & licere & expedire *præſcriptis* uti *formulis* facile conſtare poteſt e utroq; teſtamento: primo ex *Moſe* inſ lenni illa *præſcripta Aaroni* & *filiis ej benedicendi formula* Numeror. 6. 2 *Alloquutus eſt Jehova Moſem dicen Alloquere Aaronem et filios ejus dic do, Sic benedicitote filiis Iſraelis, dic do eis, Benedicat tibi Jehova & cu diat te, faciat Jehova ut luceat fa ſua ſibi, & gratiam faciat tibi :*

tollat Jehova faciem ſuam erga te, & apponat tibi pacem. Similiter apud eundem *Moſem* extant præſcriptæ invocandi formulæ ad *Arcæ* tranſlationem & ſtationem, Numerorum 10. 35. Nam cum elevabant *Arcam*, hac formula utebantur; *Surge Domine & diſpergantur inimici tui, fugiantque oſores tui a facie tua*: & cum deponerent, hac altera utebantur, *Da quietem Jehova myriadibus millibus Iſraelis.*

Conſtat deinde ex libro *Pſalmorum*, qui totus in hunc uſum comparatus eſt, ut ex multorum *Pſalmorum titulis* eſt manifeſtum; *Pſalmi Davidis* maxima ex parte ſunt *Liturgici* ut 92. qui *Pſalmus* dicitur *Pſalmus Cantici* in *Die Sabbati*; & *quindecim* iſta *Cantica Graduum* Pſalmum 119. ſequentia, aliiq; quamplurimi, ut patet ex ipſorum *authoribus, titulis*, & *inſtrumentis muſicis*, quibus publicus cultus celebrabatur.

Conſtat idem ex *praxi Eccleſiæ Judaicæ*, uti præcepit *Hezekias Rex*, & *Principes Levitis* 2 Chron. 29. 30. ut

laudarent Dominum, non ad dictamen raptus extemporarii, sed *sermonibus David et Asaph videntis.*

Accedit illud *Hoseæ* Prophetæ cap. 14. ver. 2. ubi præscripta forma dictata *Israelitis* conceptis verbis exhomologicis: *Sumite vobiscum verba & revertimini ad Jehovam: dicite ei, Omnem condona iniquitatem, & acceptum confer bonum, & rependemus juvencos labiis nostris.*

Jam vero in *Novo Testamento*, quis nescit Christum & nobis fixam Orandi *Formulam* præscripsisse Mat. 6. 9. ut suis antea præscripsisset Baptista Luc. 11. 2. & ipsum in agone constitutum, Ter unam eandemque *deprecationis formam* adhibuisse. *Pater, si possibile est, transeat Calix ista* &c. non facile errabunt qui talium instant vestigiis. Taceo *Formulas illas Paulinas* omnibus fere Epistolis easdem & præfixas & affixas: Quid memorem illud *Apocalypseos* capit. 15. vers. 3. ubi *Sancti*, qui habent Cytharas Dei, dicuntur

dicuntur *Cantare Canticum Moſis ſervi Dei, et Canticum Agni.*

Uultis ut *Conciliorum* Canones producam? *Milevitani Concilii* canone 12. ſic decernitur: *Placuit ut preces, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur; Nec aliæ omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ a prudentioribus tractatæ vel comprobatæ in Synodo fuerint, neforte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum.* Poſſem & alia *Antiquitatis* teſtimonia producere, ſed tempori parcendum, eodem concilio *recentiorum Theologorum* judicia prætermitto. Audiatur pro omnibus *Calvinus*, qui ad *Somerſetenſem Ducem* in hæc verba ſcribit. *Quod ad Formulam precum, & Rituum Eccleſiaſticorum, valde probo, & certa illa extet, a qua Paſtoribus diſcedere in functione ſua non liceat, tam ut conſuletur quorundam ſimplicitati & imperitiæ, quam ut certus ita conſtet omnium inter ſe Eccleſiarum conſenſus: poſtremo etiam ut obviam eatur deſultoriæ quorundam levitati*

vitati, qui novationes quaſdam affect-ant. Hactenus *Calvinus*. Ego etiam hactenus de utraque parte quæſtionis, ut poſſem, ſed breviter, oſtendere, & *licere, et expedire præſcriptis formulis uti in Divinis Officiis.*

Poteſta

Potestas Absolvendi ministris evangelii concessa, est tantum Declaratoria.

AD secundam quæstionem propero, quæ mihi tacontra dogma summi apud *Pontificios* momenti, idque ex *Diametro* in voce *Declaratoria*, ad quam vocem tam vehementer stomachantur; ut illam in *Canone 9. Tridentini* Synodi Anathemate feriant: veruntamen non simpliciter in hac voce cardo vertitur, sed in Appendicula *tantum*: nam quod est *Declarativum*, idem potest esse *Operativum*, quale est illud Salvatoris ad *Paralyticum*, *dico tibi Surge*: At vero *Tantum* est vox *exclusiva*, aliosque loquendi modos submouet, ut mox patebit, cum reliquis quæstionis terminis *metas suas* & *Fines* debita explicatione constituero.

Quod primum est, vox *Potestatis* non plenum & proprium sensum habet, sed remissum & castigatum. *Potestatem* proprie sumptam, & in *gradu summo*, quæ

quæ est *Potestas Authoritatis* ipsi *Pontificii* solius Dei esse fatentur: deinde *potestatem in gradu proximo*, quæ est *potestas excellentiæ* (seu ut scholastici alias loquuntur) *potestas delegata cum prærogativa*, eam solius *Christi* esse statuunt secundum officium & statum *Mediatorii*: Restat igitur ut *potestas in gradu infimo*, quæ est *ministerialis*, sit *potestas* tenuissimæ Entitatis, atque magis *facultas* quam *potestas* dicenda: Hinc sacræ literæ cum de *Christo remittente* loquuntur, non dubitant ἐξουσίαν eidem tribuere, *Habet filius hominis* ἐξουσίαν, *Dimittendi peccata*; Non sic de *Apostolis*: De *dono* quidem *miraculorum* verba faciens Scriptura, diserte & articulatim *potestatem* vocat, dedit eis ἐξουσίαν sive *potestatem sanandi ægrotos & ejiciendi Dæmonia* Marc. 31. 15. Cum autem de eorum *ministerio* in *remittendo & solvendo* loquitur, *Potestatis* nulla ei mentio, hac ipsa, conjicio, de causa, ut discrimen poneretur inter hæc duo, negotia *solvendi* nimirum & *miracula faci-*

endi

endi: In utroque, id quod agabant, erat *miniſteriale*, ſed modo non eodem: In *miraculis* erat *miniſteriale exhibitivum*, in *Solvendi* negotio *miniſteriale declarativum*: In illo Deus uſus eſt eorum *miniſterio* ad faciendum quod per eos erat facturus: in hoc eorum *miniſterio utitur ad indicandum & obſignandum* quod ſolus facit per ſeipſum, ergo expreſſe dicitur, *Tibi dabo Claves*, non tibi *poteſtatem*, *& quodcunq; ſolveris ſuper terram*, nuſquam vero accipe *poteſtatem ſolvendi*: Erat enim *facultas*, ut dixi, potius quam *poteſtas* quam acceperant, ſi proprie loquamur. Veruntamen quia *Sancti Patres* hac loquendi libertate utuntur, atque nunc *Gratiam remittendi* appellitent, ut *Hieronimus*, nunc *ſolvendi poteſtatem*, ut *Ambroſius*; nunc *poteſtatem ſpiritualem* ut *Chryſoſtomus*, *Acceperunt* inquit *Apoſtoli ἐξουσίαν τινὰ poteſtatem quandam ſpiritualem ut peccata remitterent*, idcirco & nos de verbis minus ſcrupuloſi, cum rem ipſam teneamus, juxta communem loquendi morem, hoc quicquid eſt ſive

honoris

honoris sive *facultatis* verbo usitato dicimus *Absolvendi potestatem.*

Secundo loco hæc *potestas* dicitur & *concessa*, *& ministris concessa*, *& ministris Evangelii*: Cum dicitur *concessa* excludit omnem *potestatem usurpatam & surreptitiam*, quam sibi arrogant *Pontificii*: *Usurpatam* vero, quia *potestatem* sibi assumunt id vere & realiter efficiendi, quod neque suum est, nec esse potest, imo solius *dei* est proprium. *Surreptitiam*, quia illam sibi asciscunt, quæ non est omnino *concessa*: Duæ enim duntaxat sunt *concessionis* formulæ, *Quæcunque solveritis super terram, soluta sunt in cælo*, hæc prima: *Quorum remiseritis peccata remissa sunt*, hæc secunda: *Aqui* in istarum neutra haberi *potestatem ad effectum*, sed tantum *potestatem ad media dispensanda* ex ipsorum doctrina *Papistarum* eruitur: Cum enim ipsi ad *potestatem Excellentiæ* proprie pertinere dicant efficaciam & effectum mediis eisdem conferre, cumq; rursus dicant non esse congruum, ut ista *potestas excellentiæ*, quæ *Christo* est pro-

pria

pria ulli Creaturæ communicetur, ne ſpes ſalutis (ut loquitur *Biel*) in *miniſterio* ſtatueretur, ſequitur neceſſario in *manu miniſterii* ipſum *remiſſionis effectum* non eſſe poſitum, adeoq; verum & proprium jus *remiſſionis* penes *miniſtros* non eſſe; præſertim ſi *Theophylactum* audiamus, qui vere et aperte aſſerit vigorem iſtius *conceſſionis*, quantum ad effectum, non minus poſſe ad *abſolutionem* & *reconciliationem* fraternam, quam ad *ſacerdotalem* accommodari: *Non ſolum inquit quæ ſacerdotes ſolvunt ſunt ſoluta, ſed quæcunque nos injuria affecti vel ligamus vel ſolvimus, & ipſa erunt ſoluta & ligata in cœlis.*

Quod tamen nolim ſic intelligi, ac ſi *poteſtas abſolvendi* utriſque eadem ex æquo eſſet indulta, ſed quia in utroque opere *remiſſionis* gratia ex ſolo *Deo* pendet, quamvis *diſpenſatio* ejuſdem ſit *conceſſa miniſtris Evangelii*: *Miniſtris* dicitur, quia *Laicis* nullatenus eſt indulta, ne quidem hæc *declaratoria poteſtas*. Poteſt *Laicus* promiſſiones Evangelii de

Re-

Remiſſione annunciare; ſed multum intereſt inter *Annunciationem* a Laico factam, & eam quæ a *miniſtro*: *Laici* annunciant *narrative*, ſive *hiſtorice*, *miniſtri authoritative* ex officio: *Laici* annunciare poſſunt et recitare miſericordias Domini, & ſi doctrina polleant, eas etiam ſalutariter applicare per modum diſcurſus: In *miniſteriali* annunciatione non nuda eſt recitatio, aut applicatio per diſcurſum, ſed *efficax applicatio*, quæ pendet ab authoritate *miniſtri*, eſt etiam rariſſima obſignatio virtute divinæ Promiſſionis. Poſtremo, quod Laici faciunt, id fluit ex eorum vocatione generali, quatenus ſint Chriſtiani; tenentur enim ex *charitatis* officio ſe mutuo & ædificare & conſolari: at *miniſtri* hoc faciunt ratione quadam ſingulari, & per modum *ligationis*, quæ ipſorum eſt proprie, & ex divino inſtituto ſpeciali fluit, eſtq; inſuper ſpeciali promiſſione ornata, & voce *Evangelii* ſtabilita: Hac ipſa de cauſa iſta adjiciuntur in quæſtione *Miniſtris Evangelii* ſignanter: *Evangelii*, non ac ſi hæc

Abſol-

Absolvendi Potestas non fuisset etiam sub *veteri Testamento*, quod *Papistæ* contendunt: sed quia lucidius enitescit in *Evangelio*. Quod in *Lege* locum habuerit, & secundum hunc modum *Declaratorium*, de quonam loquimur, ex concione sancti *Baptistæ*, quem *Pontificii* ad vetus *Testamentum* relegant, docemur. *Prædicavit* inquit Scriptura, *Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: Constat idem ea *Absolutionis* forma, qua usus est *Nathan* ad *Davidem* 2 *Sam.* 12. 13. *Dominus transtulit peccatum tuum*; quod ipsum, ne cum *Bellarmino* factum putemus speciali quadam & extraordinaria *Dei* providentia, non permittit illud sancti *Petri* ad *Cornelium*, Actor. 10. 43. Ait enim *huic*, nimirum *Christo*, *Omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum*, speciale vero & extraordinarium non potest esse quod omnes prophetæ fecerunt; erat itaq; in *veteri testamento*, at magis eluxit in *novo*, *Salvatoris mandato & promissione confirmata*.

Atq; nunc his paſſibus, ad ipſam quæſtionis medullam deventum eſt, *viz.* quod hæc *Poteſtas ſic conceſſa eſt tantum Declaratoria.* In hoc extremo quæſtionis vocabulo Centrum eſt figendum, quod unicum ſi immotum maneat, de reliquis ad *Abſolutionem* ſpectantibus, vix ulla erit, aut certe minima controverſia. Eſto igitur quod hactenus conveniamus cum *Pontificiis*, junctimq; cum illis profiteamur, & ſpecialem *Poteſtatem*, & eam cœlitus *conceſſam*, & ſolis *conceſſam miniſtris*, & eminenter *miniſtris Evangelii*, ſive Evangelice ſic dictis, *Sacerdotibus*: ſed quando ad hoc *declaratorium* deſcendunt, quod *Auricularis Confeſſionis* jugulum petit, tunc violatæ fidei nos poſtulant, quod *honorem clavium, dignitatem miniſterii, inſtitutionis divinæ* virtutem minuimus, id quod eſt *judiciale & gratiæ exhibitivum* ſubmoventes, & ſubſtituentes mere *Declarativum.*

Hæc ut nos defenſione juſta eluamus, videndum primo quid ſit *Poteſtas* hæc *Declaratoria*, & quibus circumſcripta cancellis,

cancellis; deinde oſtendendum eſt, quod hæc *Abſolutionis* circumſcriptio, & cum Scripturis ſacris, & cum Doctorum veterum ſententiis, & cum *Eccleſiæ* etiam *noſtræ* doctrina ad amuſſim concordat, eaq; breviter & ὡς ἐν τύπῳ.

Annotandum autem eſt, quod per *Poteſtatem* hanc *Declarativam*, de qua loquimur, non excludimus quam dicimus *Poteſtatem miniſterialem*, ſeu magis eam præſupponimus; veruntamen *miniſteriale* generalius eſt, quam ut juſtos terminos huic *Poteſtati* conſtituat: Nam etſi concedatur eſſe vel *judiciaria*, vel etiam *exhibitiva*, non propterea deſinit eſſe *miniſterialis*; idcirco hoc *miniſteriale* ad juſtos fines, & modum ac tenorem debitum reducimus per *Declaratorium*: dicitur igitur & *miniſterialis* & *declaratoria*, *miniſterialis* eſt, quia ad *miniſtros* pertinet, & quia in veteri *miniſterio* continetur, & quia exercetur per verbi *miniſterium*: *declaratoria* autem, quia *miniſter Verbi* & *pacto divinus*, vere pœnitentibus ac credentibus remiſſionem de-

clarat & annunciat: Rursus *Declaratoria* ad submovendas rationes *judiciarias* & *exhibitivas*.

Imprimis si *potestatem judiciariam* statuamus, est contra *Dominium* Divinæ majestatis, quia ut *deus* solus est *scrutator crodis*, ita solus *Judex*: Ergo si *judicium cordis* ministris tradidisse eum dicimus, exinde sequeretur, ut facultatem etiam *Cor scrutandi* iis ipsis largiatur, alioqui judices esse non possint. Revera quod ad actus externos attinet, non negamus in *Absolutione esse iudiciale aliquid*, quod & Ecclesia nostra in *Apologia sua* profitetur; est enim *causæ cognitio*, licet non indubitata, quia audit *minister* personam absolvendam, fidem suam & pœnitentiam profitentem; deq; iis judicat ut *sacerdos* de *Lepra* sub lege: Est & *sententiæ dictio*, cum indulgentiam pœnitenti declarat, & obsignat; sed hæc *sententiæ dictio*, nihil aliud est quam *annunciatio arbitrii & sententiæ supremi iudicis*: & per hoc illud ipsum *iudiciale* non est majus aliquod, quam nostrum *declaratorium*.

Secundo

Secundo in loco ſi *poteſtatem exhibitivam* ſtatuamus, erit contra *Dominium divinae gratiae*, cujus ſolius eſt tum *peccati maculam*, tum *Reatum* abſtergere: quod evincitur primo ex *formula* quam in *abſolvendo* uſurpant Papiſtæ: Nam tametſi *Poteſtas* utraque & *Abſolvendi* & *remittendi* ſit eadem, ac cum ſint eadem *poteſtas*, ſub eodem etiam *praecepto* & *promiſſione Chriſti* contineantur: *Poteſtas Abſolvendi* Mat. 18. *Quaecunque ſolveritis in terra erunt ſoluta in cœlis*: *Poteſtas remittendi peccata* Ioh. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: Ipſi tamen *Pontificii* non ex æquo utraq; *formula* utuntur, non enim in hæc verba inſtituunt, *Ego remitto tibi* ſed *ego te abſolvo*, perinde ac ſibi ipſis conſcii eſſent, *Ego remitto tibi* dici non poſſe abſque *blaſphemiae periculo*: quod certe timendum non eſſet, ſi in ipſorum manibus *Poteſtas* ipſa poneretur, cum *indubitata* ſit utriuſque *Reciprocatio*, quocunque modo accipias: Is qui *remittit abſolvit*, & qui *abſolvit remittit*; & conſimiliter

is qui *annunciat ſolvi tei, annunciat etiam remitti tibi*, & vice verſa.

Secundo evincitur ex *Repugnantiis*, quas habet hoc dogma & cum *verbo Dei*, & cum ſuis ipſorum *principiis*, ita ut eo dato, multa impoſſibilia ſint ſequutura. *Impoſſibile* primum eſt, quod hoc poſito, Deus *gloriam* ſuam, & *gloriam maximam*, quæ eſt *miſericordia*, Creaturæ tribueret, cum ipſe de ſe pronunciat Eſ. 49. *Ego ſum qui deleo iniquitates propter me*: Cum dicit *Ego*, oſtendit ad ſe ſolum ſpectare, & a beato *Cypriano* ratio redditur, quod a *Deo ſolo peccatum remittitur*, quia contra *Deum ſolum peccatum committitur*: *Impoſſibile* aliud eſt, quod idem peccator eſſet ſimul ſolutus & liber, quod ipſorum placitis repugnat, eſt enim *Axioma* quoddam apud *ſcholaſticos*, quod *Caſuiſtis* etiam familiare, *Sacerdos de peccatis non confeſſis non abſolvit*: Si contingat ut quis non ſingula *mortalia* Sacerdoti confiteatur, unus & idem, & eodem tempore, & *abſolutus* erit & non *abſolutus*, Deo reconciliatus

&

& inimicus, quod *impoſſibile*. Tertium *impoſſibile* eſt, quod hoc poſito, *Deus* ipſe recederet a via ordinaria, quam in Scripturis conſtituit de *gratiam remiſſionis* diſpenſando; cum enim ſæpius & repetitis vicibus promittit *remiſſionem* vere *pœnitentibus*, cumq; ſæpe eveniat, ut longo tempore *ante factam confeſſionem*, vera *pœnitentia agatur*, neceſſario ſequitur, Deum huic *remiſſionem* largiri, vel non *confeſſo*, quod veriſſimum, vel *ſuſpendere & retardare effectum gratiæ* donec ad *confeſſionem* veniat, quod eſt *impoſſibile*, ita enim & ſeipſum, & veritatem ſuam abnegaret: Hinc eſt quod nonnulli *Scholaſticorum*, ut *Biel & Halenſis* contendunt acriter, *Sacerdotes peccatum remittere non in uſu clavium, ſed remiſſum a Deo præſupponere*. Propterea tametſi *Abſolutio* quoad *Eccleſiam*, quæ eſt in foro exteriori, effectum ſuum habeat a *miniſtro abſolvente*: *Abſolutio* tamen quoad *Deum*, quæ eſt in *foro ſuperno Cœli, & in foro interioris conſcientiæ*, effectum ſuum habeat in inſtanti *contritionis*, ita ut pec-

cator pœnitens *absolvatur*, priusquam confiteatur Sacerdoti. Quæro igitur in *quo statu* sit quem sacerdos *absolvit*, *pœnitens* annon *pœnitens*? Vel sic, an sit is quem Deus *absolvit*, an quem non *absolvit*? i non *pœnitens*, et quem Deus non *absolvit*, *Absolutio* nulla est, sin *pœnitens*, & quem Deus *absolvit*, ergo cum a Deo sit *absolutus*, *Absolutio sacerdotalis* erit *declaratoria* a Deo *absolutum* ostendens.

Hactenus descripsimus quid illud sit quod *declaratorium* excludit, nunc restat ut videamus quid in se ponat, quos fines habeat, & quibus fir mamentis nitatur: Necesse est autem hanc *absolutionem declaratoriam* probari ex *Evangelio*, quia nihil aliud sit quam *Annunciatio & Applicatio Evangelii*, sive fiat per *publicam*, sive per *privatæ consolationis Administrationem*: In *publica prædicatione* generalis solum est & indefinita, *Remittit Deus omnibus pœnitentibus*: In *speciali consolatione* fit nominatim, & ut ita dicam personaliter, *Deus remittit tibi*: utriusq; *fundamentum* est in Scripturis: Prioris,

oris, quæ generalis est & indefinita, ipse Christus testimonium perhibet *Luc.* 24. 46. *Oportuit Christum pati, & resurgere a mortuis tertio die, & prædicare in ejus nomine resipiscentiam & remissionem peccatorum.* Id ipsum *sanctus Paulus* aperte & plane docet 2 *Cor.* 5. 8. *Omnia sunt ex Deo, qui nos reconciliavit,* vide vers. 18. 19. ubi clarissime ostendit *Apostolus & primam reconciliationis causam*, quæ est in *Deo* ipso, qui ut *Dominus reconciliat nos authoritate propria*: & *instrumentalem*, quæ in *ministro* est, qui *reconciliat ut Legatus, potestate vicaria*: Hoc autem facit per *verbum & ministerium reconciliationis*, hoc est, *verbum Dei annunciando & prædicando.* Posterioris, quæ est extra *publicum ministerium*, estq; *specialis & personæ*, vel *personis* determinata, non est expressa mentio in sacris literis, nisi quantum ex locis illis generalibus eruitur, quæ docent *homines fracti spiritus, & timoratæ conscientiæ verbo consolationis esse sustentandos*; & de hoc *Christus* Luc. 4. 18. *Spiritus Dei super*

me

me, propter quod unxit me Evangelizare pauperibus, misit me sanare contritos corde, prædicare captivis Remissionem & quæ sequuntur: hoc loco nihil potest esse dissertius, in quo multoties & *solutionis & prædicationis* fit mentio, nimirum ut indicaret, non solum in genere, *contritos & timoratos* cum *peccatorum* mole, & ipsa desperatione luctantes, *verbo consolationis*, & *promissionibus Evangelii* esse sufulciendos; sed in specie etiam hanc *Absolutionem* per viam *consolationis*, in *Evangelii ministerio* sitam esse.

Quemadmodum igitur his mediis ad *fidem* & *pœnitentiam* peccatores perducuntur, ita perductis his ipsis mediis, *remissio peccatorum declaratur* & *annunciatur:* Ergo duo sunt modi, quibus dicuntur *ministri in verbi ministerio* peccata *remittere*: primo *dispositive*, quia homines ad *Remissionem* consequendam præparant, & *Evangelii prædicatione* ad *fidem* & *pœnitentiam* perducunt: secundo *declarative*, quia jam rite *dispositis, pœnitentibus* & *credentibus remissionem annunciant*

nunciant & obſignant, vel *publice in ordinario miniſterio*, vel *privatim*, ubi *gravatæ conſcientiæ* neceſſitas id poſtulat. Id ipſum ex *clavium* ſimilitudine liquido conſtabit; cum enim ad *Petrum* Chriſtus dixit, *Tibi dabo claves regni cælorum*, næ ipſi *Pontificii* affirmabunt eum alias *claves* intellexiſſe quam *miniſteriales*: etenim *clavis Authoritatis* pertinet ad *Chriſtum Deum*, *clavis Excellentiæ* ad *Chriſtum Hominem*, de quo memorabile illud ſancti (ni fallor) *Antonii*, *Sanguis Chriſti eſt clavis Paradiſi*. Jam vero *clavis miniſterialis* nihil aliud eſſe poteſt, quam *Poteſtas miniſterialis in prædicatione verbi*, quemadmodum Luc. 11. 32. per *clavem ſcientiæ*, nihil aliud intelligitur, quam *prædicatio verbi* in genere, qua fores *cordis* aperiuntur *ad credendum*: ita etiam per *clavem abſolutionis* prædicatio *Evangelii* in ſpecie eſt intelligenda, qua fores cœli credentibus aperiuntur: Sicut igitur *miniſter Dei, clavem doctrinæ adhibens* dicitur *convertere & ſalvare*, ita cum *clave utitur remiſſionis*, dicitur

aperire

aperire & *ſolvere*, figurativo loquendi modo, quo *actus principalis agentis* nempe *Dei* inſtrumento attribuitur, i. e. *miniſtro*, qualiſcunque eſt reſpectus *inſtrumentalitatis*, vel per *modum diſpoſitionis*, vel *obſignationis*, vel per modum *annunciationis*, ſic multi e *Pontificiis* ſe explicarunt. Johannes Ferus *Homo*, inquit, *non remittit proprie, ſed oſtendit & certificat peccatum eſſe a Deo remiſſum*. Occamus, *Sacerdotes*, inquit, *ligant & ſolvunt, quia oſtendunt homines ligatos & ſolutos*. Deniq; & ipſe Lombard. inquit, *Sacerdotibus tribuit poteſtatem ligandi & ſolvendi* i. e. *oſtendendi homines ligatos vel ſolutos*. Mox autem *ex Hyeron.* ſubjungit, *In remittendis vel retinendis culpis, id juris habent Sacerdotes evangelici, quod olim habebant legales in curandis leproſis, ergo peccata remittunt vel retinent, dum dimiſſa a Deo vel retenta indicant & oſtendunt*. Hæc *Magiſter, quem unum e ſcholaſticis veteribus* plurimi ſequuntur: verum non eſt hic locus *eos* recenſendi, nedum ipſorum *Patrum ſententias*, quibus hic loquendi

loquendi modus est frequens; *Claves esse scientiam scripturarum* ut Chrysost. *Interpretationem legis* ut Tertul. *Verbum Dei* ut Euseb. *Scripturarum Testimonia* ut Hyeron. *Solvuunt* inquit, *Apostoli sermone Dei & testimoniis scripturarum, & exhortatione virtutum*, cui illud *sancti* Ambrosii per omnia concinit, nisi quod *Clavem Orationis* videtur adjungere, *Deus* inquit *dimittit, Spiritus sanctus condonat, homines officium suum & ministerium exhibent, nullius potestatis jura exercent, isti rogant, Divinitas donat, humanum est obsequium, munificentia superna Potestatis*, hæc Ambrosius. Possunt huc aliorum *Patrum testimonia* multa congeri, sed hæc paucula satis commonstrant quæ fuerit *sententia veteris Ecclesiæ*, eadem plane quæ & nostræ *Anglicanæ*, quod solum jam supereſt ostendendum, nēq; id explicatu difficilimum; Non enim unus est locus, in quo sensum suum exponit. In *Homilia de Poenitentia* hæc legimus, *Possunt teneræ & perturbatæ conscientiae ad pastores se recipere, ut solamen*

accipiant

accipiant, sed non ab iis pendet peccatorum remissio, imo necesse est ut *peccata remittantur, antequam ipsi absolvant*, quod idem est cum illo *Halensis: Nunquam Sacerdos absolveret quenquam, de quo non præsumeret quod esset absolutus a deo.* Similiter in *Apologia Anglicana* hæc habentur verba: *Ministris a Christo data esse dicimus ligandi, solvendi, aperiendi, claudendi potestatem, & solvendi quidem munus in eo situm esse, ut ministri dejectis animis & vere resipiscentibus, per Evangelii prædicationem merita Christi & absolutionem offerat, & certam peccatorum condonationem, & spem salutis æternæ denunciet.* Postremo in ipsa *Liturgia*, in qua cum tres sint *Absolutionis* formulæ, in prima, quæ prope est ab initio, habemus quasi explicationem reliquarum: *Dedit Potestatem & Mandatum suis Ministris, ut Populo suo pœnitenti Absolutionem Remissionemque peccatorum suorum Declararet & Annunciaret*; ex quibus clare intelligitur, quod uti in postrema formula, quæ *ægrotorum visitatione est usurpanda*,

usurpanda, Minister dicit, *Ego authoritate mihi commissa te absolvo.* Hæc verba *ad modum hunc declarativum sunt redigenda*; neq; enim aliam authoritatem *Deus* nobis commisit, quam ut *homines ad remissionem præparemus, & rite paratis, illam a Domino annunciemus*: proinde etsi aperte dicat, *Authoritate mihi commissa ego absolvo*, at prius pronunciat, *Dominus ex infinita sua misericordia tibi remittat*, quia rem ipsam a sola *Dei misericordia* pendere compertum est, ita ut *pœnitenti remittatur*, vel si *Minister* dicat *non absolvo*; *impœnitenti non remittatur*, etsi *Minister* dicat *absolvo*; quia *dei* totum est in *omnibus*, & maxime in *operibus gratiæ*, & quantum ad hæc maxime in *operibus misericordiæ.* Ut verbo finiam, *Deo dominium suum* ne invideamus, honoris satis esse ducamus, quod *præcones gratiæ* nos esse voluit: Relinquamus igitur *judiciarium Cælo*: Non est in exiguis habendum, quod nos *Deus conchas facit gratiæ*, paucorum est *canales esse*, aut si *canales* fecerit, ne ambiamus honorem

norem *fontis* : Desidiosum est *ministrorum* genus, quod in *munere* omniu *sanctissimo laboris pensum minuit*, pl nimio *honorem* distendit? Vix dici p test quantopere hoc *Absolutionis dom nio* delectentur, & ipso nomine quo non sit res *studii* sed *imperii*: E contra illam partem *ministerii*, quæ in *prædicando* consistit, quantum maxime possunt refugiunt & contemptui habent; eousq ut ipsa *Absolutio*, quam alias adeo depe reant ingrata sit, si cum *prædicationis ope re* conjungatur; cum tamen nemo sit qu plures *animas absolvat*, *aut honorificentius utatur clavibus*, quam qui impensius & sæpius in *prædicando* versatur, i quo potissimum *opere* & *disponit peccatores*, & *dispositis annunciat* & *declarat Remissionem*.

Sed id nunc supereſt, ut in eo, a quo exorsi simus, finiamus utramq; quæstionem, jam denuo complicando & concludendo utramq; verissimam esse; & *verbo Deo* consentaneam.

FINIS.